

M
S. 920^{3a} 4^o 2

9
2

G. q. 106. a.

INFINITAM INGENII DIVINI VIM
 QVA
 IGNOBILIORES ANIMI HVMANI MEDITATIONES
 ABSORBEANTVR,
 CANVNT,
 ET
 MORTEM PRÆMATVRAM
 I V V E N I S
 GENEROSISSIMI atque CVLTISSIMI
 Henrici Philippi Leopoldi
 DE OERTZEN,
 EQVITIS MEGALOPOLITANI,
 AMICI SVI QUONDAM DILECTISSIMI,
 DIE XVII. JANVAR. ANNI c19 bCC LII.
 E VITA ABREPTI
 DEPLORANT
 PRIMI ORDINIS PÆDAGOGII BERGENSIS
 CIVES.

AK


 MAGDEBVRGI,
 LITTERIS GODOFREDI VETTERI.



umina, sol vita, digno permittite stupore
 Nosci, quæ pandis cupidum diffusâ per orbem.
 Nos iubeas sancto venerari sceptra tremore
 Et vires vegetas, quæ signa virilia pingunt;
 Nosque tuo mortuas hominum splendore vigores
 Cernere labentes & nubila mentis opaca.

Nos fragiles doceas vires & fata volantis
 Fernici vitæ gressu conferre supremis.
 Tu, sol justitiæ, radios per sæcula longa
 Diuulgas celebres, solamina, gaudia, vitam
 Lumine diffusis largo; tu luce beata
 Languentes recreas, & per dumeta vagantes
 Torpida confirmans radiantem tramite ducis.
 Ast homo scintillas & paruula lumina mentis
 Iactat, quæ soli tutori debet amico.
 Inflatus donis socium se iungit atrocem
 Consilio diuo, tribuens paucissima sceptra.
 Mox tamen effugiens lux pallida pectoris auri,
 Numine quæ tantum crescit, quæ mortua pallet,
 Dummodo iusta Dei pietas rellinquit inermem,
 Fata leuesque premit vires, vitæque fauillas,
 Et docet augustinus distent quid friuola regnis.

Fama Dei viuax per sæcula crescit adaucta,
Deque nouo semper volitat per tempora longa
Gloria dispergens fructus infanda salubres,
Quis, longæue Deus, radiis metitur eois
Omnipotens studium, sceptrumque manumque potentem;
Pectora quæ sancto sectunt humana timore,
Muneribus celsis animo terrestria dona
Contemnenda pia monstrant; tua crescit in annos
Altiuolans pietas, renouataque fœdera pressos
Confirmant, augentque pio tua nomina cultu,
At misero velox mortali labitur ætas:
Non secus ac leuibus cæli velamina notis
Perfugiunt celeres auras, glomerata vapore
Miscentur tenero; nec post condensâ videntur;
Sic hominum facili rumpuntur flamine vires,
In rapidos abeunt ventos, vanescit & ætas,
Pectoribus nec inest pietas, nec vera salutem
Religio pingit, trahimur feruore probraso.
Ceu solis radlos oculis subducit adentos
Permissum pluuio cælum, dum lumine tantum
Subratilo vultum tenebrisque obducit iniquis:
Sic mens nostra Deum dumtaxat vana superbam
Aspicit, & cæcus vultu depingitur ignis.
Labitur infelix corpus, decrefcit adulta
Dos animi, vitæ mox fata suprema propinquant.
Viuimus, & passu viuentes præpete mortem
Aggredimur, volitant velocia tempora luctu;
Inque dies nobis propior lux vltima crescit.
Ceu calamis teneris humores ducit alentes
Arbor, vt hoc citius marcescant florida dona,
Tu, Deus astripotens, amplo conamine mentem
Exsoluis cupidam, nutu portenta praealta
Nascuntur tremulo: mandas; & iura vigescunt,
Consilium stimulis moderantur nobile tectis
Submersi latices, nec iners arcana resoluît
Inclyta mens hominum, natosque ex semine fructus
Exiguo celebres, nec noscît lumina clausa.
At tumido fastu nequicquam incauta pererrant
Pectora, dum fundant proceras æquore turres,
Nubibus & muros, & torpida castra saburris.
Mox ea vanescunt, vagabundæ firma videntur
Munera quæ menti, vultu ridentque sereno.
Cras celeri fugiunt cursu, quæ fausta videntur
Nunc nobis, neque sollertem sperata laborem
Lux sequitur, vaga nam semper nos lumina fallunt;
Mors donec subeat vitæ tristissima falsa.

Sic TVA mors, IUVENIS CULTISSIME, viuida vita
 Signa brevis monstrat, gelido quæ nostra stupore
 Ossa quatit, gemitusque piis e cordibus ægros
 Ducit, & attonitos terret morore vigores.
 Vidimus intrepido vegeta TE robore vita
 Florentem quondam, roseaque atate vigentem;
 Humano faciem pingebat digna colore
 Ingenuam pietas: nec qui minitantia fata
 Suspiceret, fuerat, nec damna citata timeret.
 Ast subito vitam nunc mors TIBI præripit acris,
 Cum luctu rumpit primos inopina labores,
 Et ciet ingenti præcordia torpida planctu.
 Nos lacrimas questumque oculis diffundimus agris;
 At TV nos cedens sic voce monere videtur:
 Discite dilecti sic me moriente sodales
 Noscere, quam facilis vita sit pallor onustæ
 Discite vel iuvenes morti succumbere vires,
 Discite fata nec atatem, nec nosse vigores,
 Et vigili semper sic fata timescite mente.

TV vero, IUVENIS FLORENS, qui funera fratris
 Sublati luges, vitaque leuamina digna,
 Supprime jam lacrimas, fessosque repelle labores.
 TE Deus, incerta fratrem qui mitis amatum
 Subduxit vita, recreet solamine firmo.
 Hoc moneat casu metam TE tendere passu
 Assiduo diuam, vitæ depingat inanes
 Illecebras, vt TV nobiscum gaudia vitæ
 Inquiras placida, veramque sequare salutem.



78 M 350

ULB Halle 3
001 592 122




56.

Petro V







INGENII DIVINI VIM
 QVA
 MI HVMANI MEDITATIONES
 ORBEANTVR,
 CANVNT,
 ET
 PRÆMATVRAM
 VENIS
 MI atque CVLTISSIMI
 philippi Leopoldi
 RTZEN,
 EGALOPOLITANI,
 NDAM DILECTISSIMI,
 NVAR. ANNI dō 10CC LII,
 TA ABREPTI
 PLORANT
 PÆDAGOGII BERGENSIS
 VES.



GDEBVRGI,
 LITTERIS GODOFREDI VETTERI.

AK

